



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Disputatio XLVII. De causa meritoria Incarnationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

## De causâ meritoria Incarnationis.

**C**VM certum sit, Christum fuisse humani generis redemptorem, eâdem certitudine tenendum est habuisse eum actus meritorios, quibus & peccatorum remissionem, donâque supernaturalia, ac deum aeternam vitam condignè nobis obtinuit. Quamvis autem præcipuè hic inquiramus, quid Christus meruerit vel mereri potuerit sibi, aliquid nihilominus addemus circa ejus meritum tum respectu Angelorum tum nostri, ut singularis ejus in nos amor & benignitas plenius innotescat. Disputat verò hac de re S. Thomas artic. II. quæstionis secunda post Disputationem de Unionem hypostaticâ, sed quia magnam connexionem habet hac quæstio cum iis quæ proximè discussimus circa causam motivam Incarnationis, hinc eam subjiciemus.

### SECTIO PRIMA.

Utrum humanitas Christi, mereri potuerit unionem sui ad Verbum.

I. Error Photini & Origenis circa meritum humanitatis Christi.

**R**EITIENDUS hic in primis error Photini, & aliorum, qui humanitatem Christi dicebant prius tempore existisse, quam uniretur Verbo, & per opera sua meruisse unionem quandam accidentalem. Huic affine est somnium Origenis, qui 2. periarcho cap. 6. assererat animam Christi prius tempore fuisse creatam, quam unitam, & per bona opera moralia unionem sui ad Verbum meruisse. His itaque rejectis, de solâ prioritate naturæ quæstionem instituiamus.

II. Humanitas Christi de facto nec meruit, nec connaturaliter mereri potuit unionem sui ad Verbum.

Difficultas verò procedit de possibili, & in ordine ad potentiam absolutam, neque enim de facto meruisse humanitatem hanc unionem, nec connaturaliter mereri eam potuisse fatentur omnes, cum enim subsistentia naturaliter requiratur ad operandum, & propriam non habuerit, præquirebat ad operationes omnes subsistentiam divinam, ergo nulla actio prius natura ad hanc subsistentiam potuit à naturâ procedere, cum suppleat vices creatæ. Hoc expressè docet Sanctus Augustinus de Prædestinatione Sanctorum, cap. 15. ubi ait eâdem ratione gratuito fuisse prædestinatam Christi humanitatem ad unionem cum Verbo, ac nos prædestinamur ad

gratiam: Quid egit antea, inquit, quid credidit; quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret.

Objicies illud Apocalyp. 5. ubi dicitur: Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & divinitatem, hoc autem fit per unionem. Confirmatur ex Psalmo 44. ubi de humanâ Christi naturâ canit Propheta: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, &c. Ad argumentum respondetur cum Sancto Thoma, Ruperto, Lyrano, & aliis, per divinitatem eo loco intelligi manifestationem divinitatis: cum enim per occisionem nos antea perfectè redemerit sanguine suo, certè divinitatem habere debuit. Ad confirmationem dico propterea illo loco significare causam finalem, propterea nimirum unxit Deus humanitatem Christi oleo unionis, ut diligeret justitiam, & odio haberet iniquitatem.

Dico primò: Implicat humanitatem Christi mereri condignè unionem sui ad Verbum, nisi aliquo modo præcedat habens aliam unionem hypostaticam ad aliquam ex personis divinis. Ratio est clara, ad meritum quippe de condigno requiritur, ut sit æqualis valoris cum præmio, ergo debet actio, quæ meretur condignè unionem hypostaticam, esse infinitè meritoria, ergo procedere debet ab humanitate unitâ personæ divinæ, non per unionem quam meretur, sic enim principium meriti caderet sub meritum, ergo per aliam.

Dico secundò: Humanitas unita Verbo (nisi obliet ratio comprehensionis, quodque quoad animam

III. Duo sacra Scriptura circa meritum humanitatis Christi testimonia explicantur.

IV. Certum est Christi humanitatem non potuisse condignè mereri unionem sui ad Verbum.

V.



Tom. II.

*Humanitas unita Verbo habet sufficientem proportionem ad merendum aliam unionem hypostaticam.*

animam sit extra statum viæ) potest condignè mereri, vel aliam unionem ad Verbum, si ad maiorem ejus perfectionem spectaret, vel cum aliâ personâ divinâ. Ratio est, quia per hanc unionem opera Christi sunt infinitè dignificata, & meritoria omnis præmii possibilis, ergo si ipse ea applicaret ad unionem novam cum personâ Patris aut Spiritus Sancti promerendam, & Deus acceptaret, non est cur promereri eam condignè non possit.

VI.

*Anima unita Verbo mereri divinitus potest unionem corporis ad idem Verbum.*

Dico tertio: Potest de potentiâ absolutâ anima unita Verbo mereri de condigno unionem corporis cum eodem Verbo. Ratio est, nullo liquidem in hoc apparet inconveniens, cum nihil repugnet prius vel naturâ, vel tempore assumi animam, quàm corpus, idque sive assumatur separata à corpore, sive unita, ergo pro illo priori potest offerre Deo operationem aliquam eâ intentione, ut corpus uniatur, sicut offerre etiam potest pro unione hypostaticâ Verbi cum aliâ animâ.

VII.

*Potest per divinam potentiam fieri unio humanitatis cum Verbo dependenter ab aliquâ operatione per modum conditionis.*

Dico quarto: Nihil vetat de potentiâ absolutâ, ut fiat unio Verbi cum humanitate dependenter ab aliquâ operatione per modum conditionis ad hanc unionem ex constitutione divinâ antecedente, intuitu cujus moveatur Deus ad unionem illam huic naturæ conferendam, sive sit vocanda operatio hæc meritum de congruo, sive non. Ita Becanus tractatu de Incarnatione c. 14. quaest. 6. Tannerus hic, quaest. 3. dub. 7. n. 244. insinuant Caietanus, Valentia, & alii nonnulli. Probatur: Sicut potest Deus omnino absolute, & independenter ab ullo vel merito, vel conditione unire se humanitati, quidni exigere operationem aliquam liberam potest, ut conditionem ad hoc beneficium humanitati conferendum; sicut enim potest rem aliam quamcumque, quæ liberè ab ipso procedit, facere dependenter ab aliquâ conditione, cur non poterit & unionem hanc dependenter à conditione in ipsâ humanitate.

VIII.

*Sicut Deus unionem humanitatis cum Verbo decrevit dependenter à conditione extrinsecâ, ita decrevit illam potuit dependenter ab extrinsecâ.*

Probatur secundò: Potest Deus, imò de facto decrevit unionem cum hac naturâ dependenter à conditione extrinsecâ, nempe peccato primi parentis, quidni ergo & dependenter ab operatione aliquâ ipsius humanitatis. Confirmatur: Potuisset secundum omnes per divinam potentiam humanitas, si prius tempore extitisset non unita, ponere conditionem aliquam, intuitu cujus Deus unionem hanc produceret, ergo & in instanti unionis posset idem contingere, quæ enim apparet implicantia, ut Deus hujusmodi pactum cum humanitate illâ inear, instanti quo actum charitatis elicueris uniam te mihi hypostaticè, vel etiam hoc statuere humanitate insciâ.

IX.

*Dependentem ab aliis conditionibus humanitatis decernere potuit Deus Incarnationem, ergo & dependenter ab illius operationibus.*

Tertio probatur: Nihil impedit quo minus Deus dependenter ab aliis conditionibus circa humanitatem decernere potuerit, eam sibi hypostaticè conjungere, ut quòd rationalis fuerit, non irrationalis, humana non Angelica, quòd pulchra non deformis, quòd ex hac vel illâ stirpe, &c. Imò dependenter ab aliquo merè naturali, quidni ergo etiam ab actu supernaturali humilitatis, vel dilectionis Dei super omnia.

X.

*Objic. Prius debet humanitas subsistere, quàm operari, ergo non potest*

Dices cum Patre Suarez hic, disputatione 10. sect. 2. & 3. ideo hoc repugnare, quia subsistentia complet, & perficit naturam substantialiter, operationes verò solum accidentaliter, complementum autem substantiale connaturaliter debet alicui subiecto, prius ipsi debetur, quàm accidentale, & consequenter præcedere ipsam

debet, ergo cum unio hypostatica connectat humanitati subsistentiam increatam, quæ succedit loco propriæ, debet etiam præcedere omnem dispositionem accidentalem, idque non naturaliter tantum, inquit, sed de potentiâ etiam absoluta, cum efficere Deus non possit ut id quod est prius re aliquâ, sit illi posterius.

Sed contra primò: Licet enim, spectatis entitatibus physicis, semper subsistentia sit prior operatione, & Angelus intuitivè videns subsistentiam, & operationem, videat hunc ordinem prioris & posterioris quoad esse physicum in his relucens, in esse tamen morali non est cur supremus auctor rerum nequeat hunc ordinem invertere, non efficiendo ut non prius secundum naturas rerum debeat subsistentia, quàm operatio accidentalis, sed pro suâ libertate volens exigere hanc tanquam conditionem ad illam. Sic licet connaturaliter loquendo non debeat subiecto forma ignis, nisi prius per calorem intentum fuerit dispositum, nec produci in materiâ possit forma cadaveris, nisi præcesserit forma viventis, auctor tamen naturæ potest hæc pro suâ voluntate invertere, semper tamen in formâ cadaveris relucet quòd petat subsequi formam viventis, idem ergo fieri potest in præsentia.

Contra secundò: Nam secundum probabilem sententiam natura terminata propriâ subsistentiâ assumi potest à Verbo, ergo tunc saltem dari poterit hujusmodi conditio, cum in hoc casu æquè, imò magis primariò debeat operatio viventis naturæ illi ita subsistenti, quàm aliena subsistentia, quæ secundum se est planè naturæ extrinsecæ, nec majorem cum illâ connexionem intrinsecam habet, quàm bona quævis intrinsecæ vel extrinsecæ, ut gratia habitualis, honor, divitiæ, & hujusmodi alia, quæ possunt homines per suos actus de congruo mereri, neque ullo modo potest concipi prior operationibus, nisi ad summam quando supplet locum subsistentiæ propriæ, & consequenter in eodem signo dari debet naturæ, quo danda erat propria, cujus vicem subit, sed hoc etiam solum quoad ordinem physicum, ut ostensum est, & ex naturâ rei, non in esse morali, & in ordine ad divinam potentiam.

Addo ulterius, etiam quando datur unio hypostatica loco subsistentiæ propriæ, non necessariò dari independenter ab aliquâ conditione, esto enim non posset natura existere sine omni subsistentiâ (quòd tamen juxta communior sententiam est falsum) non tamen necessariò debet habere divinam, cum subsistere possit per alienam creatam, ut probabile indicat ipse Suarez hic, disp. 13. sect. 4. ergo ad hoc ut suam ei subsistentiam uniat Deus, potius quàm ignobilior, requirere potest conditionem aliquam ex parte humanitatis.

Cum ergo subsistentia non sit principium influens in operationes, sed supposito concursu generali Dei sit in naturâ vis sufficiens ad operandum, solumque requiratur subsistentia ut conditio quædam, nulla apparet ratio cur divinitus non possit elici operatio antecedenter ad illius productionem.

Dices secundò cum eodem Suarez, anima rationalis petit prius uniri corpori, quàm operari, alioqui nulla est ratio cur in primo instanti creationis non possit se & res alias videre intuitivè instar Angeli, unde modus operandi semper se qui debet modum essendi, sed subsistentia non est

*ejus operatio esse conditio antecedens ad unionem hypostaticam.*

XI.

*Resp. Hunc ordinem præteritis & posterioribus semper manere potest, in essentia tamen naturali posse inverti.*

XII.

*Aptissimum ad hoc est. plura est, si natura habens propriam subsistentiam assumatur à Verbo.*

XIII.

*Quando loco subsistentiæ propriæ datur unio hypostatica, non datur necessariò independenter à conditione.*

XIV.

*Hoc eo facilius intelligitur, quòd subsistentia non sit principium influens.*

XV.

*Objic. Modus operandi semper sequi debet modum essendi.*

minùs



Resp. Connaturaliter ita esse, divinitus tamen aliter fieri potest.

minus intrinseca & debita natura, quam unio ad corpus debetur animae, ergo. Respondeo connaturaliter loquendo requirere animam ut uniatur, & naturam ut subsistat prius quam operetur, de potentia tamen absolutam nec unum requiritur, nec aliud, ut ostensum est.

XVI. Obje. Actio-nes sunt suppositorum.

Dices tertio: *Actiones sunt suppositorum*, quod axioma Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. & 19. asserit receptum esse à totâ scholâ Philosophorum, ergo non potest natura operationem ullam elicere, nisi habeat subsistentiam. Contra primo: Ergo saltem si habeat propriam subsistentiam, poterit per operationem dependenter ab illâ elicere mereri de congruo ut ipsi detur divina, sicut si subsistat per unionem hypostaticam ad unam personam divinam, mereri poterit juxta ipsum Suarez de condigno unionem ad aliam.

Resp. Saltem si habeat subsistentiam propriam, poterit mereri.

XVII. Axioma Aristotelis est, Actio-nes sunt singularium.

Contra secundò: Nam etsi axioma istud sit Aristotelis, primò Met. cap. 1. quod tamen negat Vasquez, sed solum affirmare ait Aristotelem actiones esse singularium, & communiter dici solet subsistentiam tantum innovisse ex mysterio Incarnationis. Respondetur tamen hoc solum esse verum naturaliter, cum suppositum non sit principium influens, sed tantum conditio ex natura rei requisita, non in ordine ad potentiam absolutam.

SECTIO SECUNDA.

Utrum hac conditio habere possit rationem meriti.

I. Potuisse Deum incarnationem dependenter à conditione aliqua decernere, jam ostensum est.

EX dictis clarè constare videtur, potuisse Deum, ut res alias, ita & divini Verbi Incarnationem dependenter à conditione aliquâ decernere, nihil enim hac in re afferri potest vel magnitudini mysterii, vel dignitati Verbi contrarium, ut sectione precedente ostensum est. Hinc ergo ulterior oritur questio, utrum scilicet hac conditio, ejusmodi esse possit, ut Deus illius intuitu aliquo modo moveatur ad unionem hypostaticam humanitati conferendam.

II. Conditio hac esse potest meritum.

Dicendum conditionem illam, quam ad unionem hypostaticam requirere potest Deus, posse non incongruè vocari meritum de congruo: ita Becanus, Tannerus, & alii supra citati. Probatur: Sicut enim potest anima esse prior naturâ suâ subsistentiâ naturaliter, & principium physicum illius, utpote quam producit, saltem in genere causæ materialis, quidni esse poterit saltem supernaturaliter principium morale illius, ergo sicut divinitus potest natura humana Christi esse principium physicum unionis hypostaticæ, & esse prior naturâ illâ physicè, cum ex illius potentia educatur, quidni etiam per divinam potentiam esse poterit prior naturâ illâ in genere causæ moralis.

III. si operatio aliqua libera prius naturâ ab humanitate procedere possit, quam hac subsistat non esse cur esse in qua operatio illa

Confirmatur: Nam ut rectè P. Suarez, sectione illâ 3. § Ad confirmationem, si admittatur (ut admittunt ii, qui hanc conclusionem impugnant) posse divinitus operationem aliquam liberam ab humanitate prius naturâ procedere, quam subsistat, inconsequenter loqueretur qui negaret posse humanitatem aliquo modo se disponere, & imperfecitè mereri, seu aliquo modo movere Deum ad illam hinc & nunc conferendam: si enim potest operatio naturalis præcedere unionem,

R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II.

quidni & supernaturalis, vel ab habitu infuso, & gratiâ habituali, vel auxilio extrinseco proveniens, ergo si Deus statueret operationem ejusmodi tanquam conditionem, ad illam conferendam, vel promitteret humanitati, aut naturæ Angelicæ, se sub hac conditione daturum unionem, quid deesset ad meritum de congruo, ad quod sufficit, secundam omnes, quod sit aliqua proportio inter meritum & præmium, & Deus illo sit contentus. Quod facilius intelligetur, si ponatur natura aliqua prius tempore existens, cui Deus promitteret, instanti quo actum amoris Dei eliceret, fore ut unionem ipsi hypostaticam conferret.

dispositio ad unionem.

Dices primò: Meritum naturale est ineptum ad præmium supernaturalis, etiam de congruo promerendum, ob summam improportionem sed major est improportio inter unionem hypostaticam, & quodvis meritum supernaturalis, quàm inter naturam & gratiam, ergo. Contra: Si enim prius tempore existisset humanitas ad unionem, potuisset secundum communem sententiam, illam de congruo mereri, ergo hæc improportio non obstat merito de congruo, cum eadem in utroque casu maneat improportio. Respondetur ergo: Quicquid sit de entitativâ & physicâ diversitate inter unionem & gratiam habituales, vel actum supernaturalem, in hoc tamen conveniunt, quod utraque sit ordinis supernaturalis, & tendens ad participationem Dei, disponensque suum subjectum ad eundem finem ultimum, nempe visionem beatam. Res verò naturales & supernaturales tendunt ad duos fines ultimos, omnino disparatos, & consequenter non habent inter se illam subordinationem in ordine ad meritum, quæ tamen præcipuè spectanda est in hac materiâ, ut fatentur omnes: adde juxta probabilem sententiam, conceptum rei supernaturalis in hoc consistere, ut non debeatur rei ulli naturali, de quo dixi Tomo præcedente, Disp. 12. Res ergo naturalis & supernaturalis sunt sicut duæ lineæ rectæ, quæ licet in infinitum protendantur, nunquam in eodem puncto coeunt, sic nec hæc res cum tendant ad fines disparatos.

IV. Obje. Longè major est improportio inter unionem & meritum supernaturale, quàm inter meritum naturale & præmium naturale.

Actus supernaturalis peculiariter tendit ad participationem Dei.

Dices secundò, cum Vasquez hic, disp. 21. cap. 3. ideo repugnare omne meritum congruum in humanitate naturâ antecedens unionem, quia vel meritum illud procederet ex gratiâ habituali, & hoc non, sic enim pro illo priori esset filius adoptivus; vel procederet ex auxilio supernaturali actuali, sed hoc similiter dici non potest, nullum enim esse opus potest in Christo non infiniti valoris, ergo non potest habere principium operandi meritorie ante unionem hypostaticam.

V. Obje. Nihil videtur assignari posse principium à quo actus ille meritorius de congruo unionis procedat.

Respondeo primò: Possè hoc opus meritorium de congruo procedere à gratiâ habituali, ex quo tamen non sequitur pro illo priori esse filium adoptivum; denominatio enim filii adoptivi non sumitur præcissivè & secundum prioritatem solum signorum, ita ut is sit filius adoptivus Dei, qui pro aliquo priori præcindit ab unione hypostaticâ, sed ut sit filius adoptivus pro aliquo instanti, pro eodem habere debet negationem unionis hypostaticæ, ut infra latiùs ostendetur.

VI. Inprimis actus hic meritorius procedere potest à gratiâ habituali.

Respondeo secundò: Possè etiam hoc meritum sine incommodo procedere ab auxilio supernaturali extrinseco, nec tamen erit valoris infiniti, quia opus quod antecedit gratiam non potest accipere valorem ab ipsâ gratiâ, saltem in ordine ad gratiam quam meretur, ut omnes penè fatentur de actu contritionis à peccatore

VII. Potest etiam opus illud procedere ab auxilio extrinseco.





TOM. II.

elicito in ordine ad gratiam habitualement, & supra declaravimus exemplo principis creati dignitates militibus ob merita conferentis. Adde, non proprie dici operationem, de qua loquimur, esse Christi, sicut etiam actus contritionis quo meretur quis de congruo primam gratiam, non dicitur actus iusti, nec vivi membri Christi, sed peccatoris.

VIII.  
Dicitur actum illum saltem esse meritum primam gratiam.

Urgebis: Actum illum, licet non sit de condigno meritorius primae gratiae, esse tamen meritorium primae gloriae, quod probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. ubi ait sperantibus in Deo proponendam esse vitam aeternam, & tanquam gratiam filiis, & tanquam mercedem bonis operibus ac meritis; ergo juxta concilium Adulti omnes merentur gloriam, ergo per illum etiam actum hoc faciunt; posset enim quis statim post actum contritionis mori.

IX.  
Respondetur actum illum non mereri primam gloriam

Respondeo: Solum velle Concilium, tunc gloriam caelestem esse mercedem, quando sunt merita, non vero ubi quis adultus moreretur in gratia sine meritis, quod aliquando videtur posse contingere extra casum argumenti: exempli gratia, si quis adultus dispositus per attritionem accedat ad baptismum: hic instanti justificationis nullum habet meritum, cum attritio transierit, ut supponimus, & tamen si sequente instanti moriatur, consequetur caelum, cum moriatur in gratia, ergo universim non est necessarium, ut adultis omnibus sit vita aeterna merces in actu secundo, licet proponatur ut talis in actu primo, & consequenter probabiliter dici potest actum contritionis a peccatore elicito nec primam gratiam mereri de condigno, nec primam gloriam: sic si puer baptisatus post usum rationis viveret ad tempus sine meritis, & sic moreretur, salvaretur per gratiam baptismalem sine meritis.

X.  
Dicitur: Ex diverso modo loquendi Concilii Tridentini de notari, primam gloriam cadere sub meritum, et si sub meritum non cadat prima gratia.

In tabis ex eodem Concilio sess. 6. canone 32. ubi sic habet: Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus quae ab eo per Dei gratiam, & JESU CHRISTI meritum cuius vivum membrum est, sunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, & ipsius vita aeterna, si tamen in gratia decesserit, consecrationem, atque etiam gloriae augmentum; Anathema sit: ubi consulto videtur Concilium non dixisse nostris operibus mereri nos gratiam, sed augmentum gratiae, dicit tamen nos mereri vitam aeternam, & augmentum gloriae, ergo vult significare primam gloriam cadere sub meritum, non primam gratiam.

XI.  
Loquitur Concilium illo loco de operibus supponentibus justificationem.

Respondeo: Non loqui ibi Concilium de primo actu Contritionis, sed de aliis justificationem supponentibus, ut notat P. Suarez de Reviviscencia tit. 2. sect. 1. num. 32. & 33. tum quia vocat opera illa fructus justificationis, atque procedere a justificato, & vivo membro, tum praecipue, quia sequeretur per illum actum mereri aliquam augmentum gratiae & gloriae, cum eidem applicet Concilium illa omnia, ut constat. Dico itaque singulos actus iusti post primum actum contritionis mereri illa omnia, nempe augmentum gratiae, augmentum gloriae, & vitam aeternam, quae cuius gradui gloriae annexa est, sicut per secundum vel tertium peccatum mortale meretur quis damnationem aeternam cum augmento poenae.

XII.  
Dicitur: Gratia etiam est annexa est gratia.

Dices: Cuilibet etiam gradui gratiae est essentialiter annexa gratia, ergo etiam pari ratione dici posset mereri nos absolute gratiam, sicut vitam aeternam. Respondetur primo, dedita opera non dixisse Concilium, iustum per bona opera mereri

gratiam, ut tacite damnaret & fugeret errorem Pelagii dicentis nos mereri primam gratiam. Respondetur secundo, longe diverso modo se habere opera nostra respectu gloriae & gratiae; hujus enim gradum nullum mereri possumus, nisi aliquem necessarium praesupponendo, cum omnem meritum condignum fundetur in gratia, sicque, secundus actus non reddit nos simpliciter gratos ex modo tendendi, sed gratiores; gloriam vero ita meremur per secundum actum, ut si aliunde non haberemus aliquem illius gradum, per hunc acciperemus, quod secus contingit in gratia: sicut, uti diximus, per secundum peccatum mortale, ita meretur peccator damnationem aeternam, ut, si aliunde non esset ea dignus, per primum peccatum, per hoc esset.

Dices tertio: Unio hypostatica est perfectissima sanctitas, & in cuius conceptu involvitur quicquid spectat ad perfectionem ejusvis sanctitatis possibilis, ergo petit ut pro omni instanti quo est, sit radix omnis meriti, & cujuscumque rei, quae ad moralem subjecti perfectionem pertinet. Sed contra, nam nullus credo negabit, quin in instanti unionis possit Deus de potentia absoluta dispartate infundere varia dona supernaturalia, & concursum dare ad actus bonos independentem ab unione, sicut de facto, licet conaturaliter debeatur Christo ratione unionis gloria corporis, tamen juxta Vasquez & alios, non fuit data ratione unionis, sed ob merita; ergo non est de essentia unionis, ut quicquid perfectionis habet eo instanti humanitas, habeat intuitu illius.

Respondetur itaque distinguendo consequens, ergo petit pro eo instanti ut sit radix in actu primo omnis perfectionis & meriti, concedo; petit essentialiter ut in actu secundo, quicquid est perfectionis detur intuitu illius; nego: cum enim Deus liberè conferat haec dona, potest vel absque ulla omnino conditione ea dare, vel etiam posita conditione & merito de congruo in actu primo sufficiente, non tamen intuitu illius sed mere gratia dare. Sicut in physicis, posita re aliqua, quae aliam conaturaliter exigit, potest Deus non intuitu illius eam dare, sed omnino independentem ab illa. Quod tamen in nostro casu minorem habet difficultatem, cum unio hypostatica pro illo priori non praecedat actum illum supernaturalem. Unde licet pro omni instanti quo est unio, relucent in ea in actu primo dignitas omnis boni, intuitu illius conferendi, hoc tamen non impedit, quo minus hic & nunc detur unio intuitu actus alicujus supernaturalis, ab unione in esse independentis.

Dices quarto: Per unionem tolli potentiam peccandi pro omni instanti quo est, ergo non potest dari independentem ab hujusmodi conditione. Aliqui negant antecedens; licet enim, inquit, non sit in humanitate potentia peccandi in sensu composito unionis, seu potentia componendi peccatum cum unione; sic enim Christus diceretur peccare, dicunt tamen esse in sensu diviso, seu demerendo & destruendo unionem. Sed quicquid sit de hoc, de quo infra, cum de impeccabilitate Christi. Respondetur secundo, hoc solum probare non posse proponi unionem hypostaticam tanquam premium actui, cuius oppositum esset peccatum, sed tantum actui bono supernaturali ab omni obligatione libero. Tertio responderi potest dispartitatem esse inter primum instans & sequentia, respectu potentiae peccandi

Resp. Dicitur se modo se habere opera nostra respectu gloriae, ac respectu in gratia.

XIII. Obicit. Vnde hypostatica petit ut sit radix omni meriti in quo est.

Resp. Nolum negare, quod in primo instanti unionis possit Deus infundere humanae

XIV. Unio hypostatica in actu primo est radix omni meriti, notandum id necessarium semper habet in actu secundo.

Potest Deus natura ordinem mirabilem invertere.

XV. Obicit. Vnde hypostatica pro omni instanti quo est, tollit potentiam peccandi, ergo dari nequit independentem a conditione

Resp. Hoc solum probare non posse proponi unionem hypostaticam tanquam premium actui, cuius oppositum esset peccatum, sed tantum actui bono supernaturali ab omni obligatione libero. Tertio responderi potest dispartitatem esse inter primum instans & sequentia, respectu potentiae peccandi



peccandi in humanitate unita Verbo; si enim in ullo instanti post primum quo unitur humanitas Verbo, esset in ea potestas peccandi, esset etiam vis ad expellendam & vincendam quasi summam sanctitatem, quod nonnullam imperfectionem arguere videtur; at verò habere potentiam peccandi antecedenter ad unionis receptionem, seu ita ut non detur unio, non videtur ullam includere imperfectionem Deo repugnantem. sed de his postea.

à quocumque alio.

XVI. Ad dignitatem & perfectionem unionis sufficit, quòd in actu primo sit radix omnis meriti suo subiecto, quamvis hoc non semper habeat in actu secundo.

Dices quintò: Derogat dignitati unionis, ut omni instanti quo existit, non sit radix omnis meriti subiecto in quo est, ergo. Nego antecedens; ad dignitatem namque unionis salvandam sufficit esse eam in actu primo sufficienter radicem omnis boni & meriti, quòd autem hic & nunc non mereatur in actu secundo, defectu applicationis, nil derogat summæ illius perfectioni, & valori infinito: sicut eidem valori secundum omnes non derogat, quod in actu secundo non meruerint opera Christi omne præmium possibile, eo quod ad illud merendum non fuerint applicata, sufficit enim ad eorum dignitatem quod in actu primo talis præmii sint meritoria.

SECTIO TERTIA.

Quaedam circa meritum Christi.

I. Quid Christus meruit vel non meruit sibi.

Hinc infero primò, quid meruerit Christus vel non meruerit sibi: in primis enim non meruit sibi unionem hypostaticam, cum hæc prior fuerit ad omnem operationem Christi, & loco propria subsistentiæ. Secundò meruit sibi gloriam corporis, & nominis sui exaltationem, contra Calvinum docent hic Theologi, constatque claris Scripturæ sacræ testimoniis, ut Lucæ ultimo: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam;* ad Philippenfes cap. 2. *Propter quod & Deus exaltavit eum, &c.* & Apocalyp. c. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, &c.* hoc est divinitatis manifestationem, ut communiter dicunt Interpretes.

Meruit sibi gloriam corporis, & nominis sui exaltationem.

II. Obiicit. Gloria corporis aliunde Christo debeatur, ergo non potuit eam mereri.

Dices: Alio titulo debeatur Christo gloria corporis, nempe ratione unionis hypostaticæ, ergo non potuit eam mereri. Vasquez negat antecedens, aitque de facto Christum non habiturum fuisse gloriam corporis, nisi per merita. Secundò respondeo negando consequentiam, nil enim vetat duplici titulo illud ipsum obtinere, & jure scilicet connaturalitatis, & ex meritis. Urgebis, ergo animæ in cælo possunt mereri resurrectionem. Respondeo fortè hoc non est impossibile, saltem divinitus: unde Vasquez Disp. 76. cap. 6. n. 3. ait posse Christum nunc in cælis mereri aliis, si velit. Secundò, Disparitas est, quia illæ non omnino sunt in viâ, nec quoad animam, ut constat, nec quoad corpus, cum corpus non habeant, Christus tamen fuit saltem quoad corpus.

Respondeo potuisse illam duplici titulo obtineri.

III. Nec gratiam habituales, nec visionem beatificam meruit Christus.

Tertio: Non meruit Christus gratiam habituales, habitus infusos, lumen gloriæ, & visionem beatam. Ratio est, quia Deus tamdiu supponit operari connaturaliter ad exigentiam cuiusqueri, donec constet contrarium, ergo sicut propterea non meruit de facto Christus unionem hypostaticam, quia subsistentia debetur tanquam passio naturæ, ipso facto quod natura existat, & consequenter antecedit connaturaliter omnem

illius operationem, ita cum unio, eo ipso quòd sit, petat tanquam passiones, gratiam, habitus, lumen, & visionem, debent connaturaliter antecedere omne meritum. Et ob eandem rationem non meruit Christus, vel visionis, vel unionis continuationem.

Quares: Utrum saltem per potentiam absolutam potuerit Christus mereri visionem beatam. Respondeo potuisse, ita Suarez hic, Disp. 40. sect. 1. aitque esse communem Theologorum sententiam. Probatur: Quia sicut de facto Christus meruit sibi gloriam corporis, quam ab initio non habuit, ita per divinam potentiam potuisset creari ejus anima unita personæ divinæ, absque eo quòd haberet gloriam essentialem, tunc ergo potuisset eam mereri. Quòd Suarez affirmat contingere etiam potuisse pro primo instanti quo de facto fuit creata anima unita Verbo, esto pro eodem gloriam habuerit, ad quod, inquit, sufficit prioritas aliqua naturæ, quod à fortiori diceret de continuatione unionis & visionis, tam in Christo, quam in Sanctis.

IV. Potuit tamen Christus de potentia absolutâ mereri visionem beatam.

Infero secundò: Circa tempus meriti Christi, meruisse ipsum à primo instanti conceptionis usque ad ultimum instans vitæ: ita Sanctus Thomas infra quæst. 34. art. 3. Suarez disp. 39. sect. 3. Vasquez, & omnes communiter, licet Durandus dubitaverit de merito infantie, quod tamen probatur apertè ex Patribus; Sanctus enim Augustinus serm. 11. de Tempore sic de Christo scribit: *Adoremus pannos infantie, ex quibus facta sunt emplasmatæ nature.* Idem S. Ambrosius, S. Bernardus, & alii Patres communiter affirmant. Ratio à priori est, quia cum Christus habuerit, etiam primo conceptionis instanti perfectissimam cognitionem, & reliqua ad merendum necessaria, quid obstat, quo minus aliquid nobis tunc promeruerit: imò Christum primo incarnationis instanti ad mortem se pro hominum salute obtulisse, probatur ex illo ad Hebræos 10. vers. 5. *Ingrediens mundum dicit sacrificium & oblationem noluisse, &c. tunc dixi ecce venio, & versu 10. subdit Apostolus: In quâ voluntate sanctificati sumus.*

V. Christus à primo conceptionis instanti usque ad ultimum instans vitæ, semper meruit.

Ratio à priori, qua probatur Christum, etiam in infantia meruisse.

Toto etiam vitæ tempore, verisimile est Christum, actum aliquem meritorium Patri obtulisse, etiam dum dormiret, utpote cujus cor etiam tunc vigilaret. Post mortem verò nihil eum meruisse probatur, tum ex verbis Christi in ultimâ vitæ periodo prolatis: *Consummatum est, tum ex illo Joannis 4. Me oportet operari dum dies est, id est dum vita manet, venit nox, &c.* per noctem autem intelligunt Interpretes mortem. Unde per vulnus lanceæ lateri post mortem inflictam non meruit Christus, nisi vel objectivè, quatenus scilicet fuit objectum alicujus voluntatis præcedentis, qua offerebat se Patri ad totum sanguinem pro nobis effundendum, vel repræsentativè, ut scilicet repræsentaret per mirabilem illam aquæ & sanguinis effusionem, quo pacto à peccatis per redemptionem lavaremur, sicut ad Rom. 4. dicitur: *Resurrexit propter justificationem nostram, id est, ut esset forma nostræ.*

VI. Christus, etiam dormiens, alicujus meritorium Patri obtulit.

Infero tertio: Quid Christus meruerit aliis. Capreolus, Ferrarius, & alii apud Suarez dif. 41. sect. 2. aiunt, sub Christi merita non cadere primam vocationem, seu dispositionem ad gratiam in nobis, licet enim, inquirunt, mereatur Christus, ut vocati, credentes, contriti, baptizati, &c. accipiant gratiam, non tamen ut vocentur, credant, &c. quibus ex parte consentit Scotus, primò, quia gratia jam non esset gratia, cum

VII. Dicunt nonnulli primam dispositionem ad gratiam in nobis non cadere sub meritum Christi.

Hæc pro unionem non respondet tam decenter

Deum à or. m. id. re.

V. Vio latia m. i. q. u. tollit t. a. u. n. d. i. d. a. r. i. e. d. e. m. e. r. i. t. u. m.

id. i. o. e. s. i. t. m. o. u. i. u. b. q. u. a.

pe.

pe.

pe.

pe.



Tom. II.

Christus quicquid meruerit, meruerit ex iustitiâ, secundò, quia quod hi credant, baptizentur, &c. potius quàm alii, pendet ex merito Dei prædestinantis beneplacito, in quo fortè sumus vocati prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur in nobis secundum concilium voluntatis sue, ut ait Apostolus ad Ephes. primò.

VIII. Ex Scriptura & Conc. ostenditur Christum nobis meruisse primam etiam dispositionem ad gratiam.

Sed hanc sententiam in scholis audiendam non esse ait Suarez loco citato, tum ob illud ad Ephesios primo: *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo*, ergo & dispositiones ad justificationem habemus per Christum: tum ob alia testimonia Scripturæ & Conciliorum, quæ passim videri possunt apud auctores, & in particulari Concilium Tridentinum sess. 6. c. 5. videtur id satis aperte declarasse his verbis: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis, à Dei per Christum IESVM praveniente gratiâ sumendum esse*, hoc est ab ejus vocatione, &c.

IX. Ratio cur Christus nobis meruerit, non tantum ut credentes accipiamus gratiam, sed etiam ut credamus.

Cum ergo Christus sit perfectissimè redemptor, meritaque ipsius fuerint valoris simpliciter infiniti, & apta ad longè majora nobis præmia promerenda, non est cur hanc ei gloriam quis neget, ut totius seriei justificationis nostræ causa sit & auctor, nihilque omnino sit in ordine gratiæ, quod ei non debeamus, si sine incommodo fieri possit, posse autem constabit argumentorum, quæ asserti contraria sententia, solutione, quæ planè levia sunt ad tantâ Christum gloriâ privandum.

X. Prima dispositio nostra ad gratiam, nobis gratis datur, Christo ex iustitiâ.

Ad primum ergo, dico auxilia illa & dispositiones ad gratiam nobis gratis, Christo ex iustitiâ donari, hoc autem non tollit, quo minus verè sint gratia. Ad secundum dici potest cum Patre Vasquez, primâ parte disp. 14. cap. 3. nostram præ aliis electionem in Christum reficendi posse, quod ille sua merita ad gratiam efficacem his potius quàm illis applicare voluerit, quo tamen non obstante tribui hoc Deo prædestinanti potest, utpote qui Christi voluntatem moverit, ut hos potius quàm illos eligendos designaret.

XI. Omnem prædestinationis seriem meruit nobis Christus, ipsamque adeo ad gloriam electionem, primam verò illam voluntatem communem, quâ cupiebat Deus homines post lapsum salvos, non meruit nobis Christus, ut notat Tannerus hic, quæst. 6. dub. 5. cum Suarez, Valentia & aliis, cum juxta Scripturas sacras voluntas illa fuerit causa adventus Christi. Unde Joannis c. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Meruit etiam remissionem peccatorum, & gratiam sanctificantem, licet illius merita mediis Sacramentis, & nostrâ cooperatione nobis essent applicanda, ut suprâ dictum est. Adamo verò ante lapsum non meruit gratiam primò collatam, sed post lapsum restitutam.

SECTIO QUARTA.

Quid meruerit Christus Angelis, & antiquis Patribus, ubi quomodo sit caput Angelorum & hominum.

I. In parabola de nonaginta novem ovibus, in mundum descendisse ad querendum ovem perditam, eamque ad caulam reducendam. Hanc parabolam exponentes Sancti Patres, per nonaginta novem oves, Angelos intelligunt,

CHRISTUS Matthæi 18. in Parabola illâ de ove perditâ dicitur relictis nonaginta novem ovibus, in mundum descendisse ad querendum ovem perditam, eamque ad caulam reducendam. Hanc parabolam exponentes Sancti Patres, per nonaginta novem oves, Angelos intelligunt,

quibus relictis Dei Filius humanam carnem assumpsit, ut hominem, quem ovem centesimam interpretantur, per peccatum perditum, & à viâ iustitiæ aberrantem, per passionem suam à peccato liberaret, ac tandem ad cælum perduceret, æternæque beatitudinis unâ cum Angelis participem redderet. Hinc oritur quæstio, Utrùm ita gratiam & gloriam, aliâque dona supernaturalia meruerit hominibus, ut horum nihil meruerit Angelis, aut quid demum illis per merita sua obtinuerit.

Dona quædam accidentalialia Christum Angelis meruisse nullus dubitat, nempe illustrationes quasdam, gaudium de sedium suarum reparatione per hominum redemptionem, & alia hujusmodi, sicque Christus est caput, non hominum solum, sed Angelorum, cum juxta fidem sit caput totius Ecclesiæ, ut cum Sancto Thoma docent Theologi, probatque inter cætera locus ille ad Ephesios primò, ubi dicit Apostolus Christum suscitatum à mortuis, & constitutum ad dexteram Dei supra omnem principatum & potestatem, virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur in hoc seculo, & in futuro, & omnia subjecit pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam: quem locum licet aliis explicare contentur de Christo ut Deo, clarè tamen loqui videtur Apostolus de illo ut homine, ut constat.

Triplici verò de causâ Christus dicitur caput Angelorum & hominum, tum ob dignitatem, cum inter ipsos emineat, ut caput inter membra humani corporis, ipsosque gubernet, tum ob pulchritudinem, sicut enim in capite omnes sensus, ita perfectiones omnes & gratiæ in Christo plenissimè relucent: tum denique quia sicut caput in reliqua membra influit, ita Christus in Ecclesiam. Membrum tamen Ecclesiæ, ut bene notant aliqui, congruè vocari non potest, sicut caput membrum est humani corporis, cum Christus influxum nullum ab hominibus, vel Angelis recipiat, sicut à suis membris recipit caput corporeum.

Difficultas est, Utrùm non dona solum accidentalialia, sed gratiam etiam & gloriam meruerit Christus Angelis. Affirmat Suarez hic, dispositione 42. sect. 1. Valentia quæst. 8. p. 3. Tannerus de Incarnatione, quæst. 6. dub. 5. n. 178. & alii.

Contraria tamen sententia & communior & verior est: ita Vasquez hic, disp. 49. & primâ parte, tomo 1. disp. 93. num. 20. Lessius de Prædestinatione Christi, & alii, & ex antiquis Sanctus Bonaventura, Halensis, & alii, videnturque expressa mens Sancti Thomæ in tertium, disp. 13. quæst. 2. art. 2. & alibi. Ratio à priori est, quia Christus ut vidimus disp. præcedente, præfinitus fuit in remedium lapsus primorum parentum, ergo pro aliquo priori præfinitus fuit peccatum illud ante merita Christi, cum fuerit in præficientiâ Dei ante Christi existentiam, sed pro aliquo priori ad suum lapsum habuit Adamus gratiam, cum peccando illam sibi ac nobis perdidit, ergo non accepit eam primò per merita Christi, cum pro illo signo non fuerit Christus in præficientiâ, tum sic, sed Angelis in eodem vel priori signo data est gratia sanctificans, quam data sit primo parenti, eamque alii conservarunt, alii peccando amiserunt, & eorum peccatum Adamo lapsus causa fuit, ergo non habuerunt gratiam illam per Christum.

revertur, per hanc hominibus intelligunt Patres, per illas Angelos.

II. Dona quædam accidentalialia meruit Christus Angelis.

III. Triplex de causâ Christus dicitur caput Angelorum & hominum, tum ob dignitatem, tum ob pulchritudinem, tum ob perfectiones omnes & gratiæ in Christo plenissimè relucent.

IV. An Christus meruerit Angelis.

V. Probabilior est Christum non meruisse gratiam Angelis.

Peccatum Adami pro aliquo priori præfinitus fuit ante merita Christi.

Secundò



VI. *Apostolus ad Hebraeos docet Angelos per Christum non fuisse sanctificatos.* Secundo probatur ex illo ad Hebraeos 2. v. 11. Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes, nempe ex Adamo, propter quam causam subdit Apostolus: Non confunditur fratres eos vocare, ergo non sanctificat Christus Angelos, utpote qui non provenerunt ab Adamo. Deinde Patres, & in particulari Sanctus Augustinus libro de correptione & gratia, cap. 11. & alibi, hoc idem docent, nempe Angelos & hominem innocentem morte Christi ad sanctificationem non eguisse, eguissent autem, si ab eo justificationis gratia in ipsos derivanda fuisset, sicut propterea eguerunt homines.

VII. *Non obstat Angelos habuisse fidem Christi per Christi meritum.* Dices primo, habuisse Angelos & hominem innocentem fidem Christi, ex meritis eiusdem Christi. Primo aliqui negant habuisse eam ex meritis Christi, ita Vasquez, disp. 12. cap. 5. & disp. 49. cap. ultimo. Secundo: Esto habuerint, habere tamen potuerunt fidem illam naturam posterius ad peccatum Adami, & Christi Incarnationem.

VIII. *Per Filios à Christo ad gloriam adductos intellexit Apostolus homines, quos ob Christum merito Deus ad gloriam prædestinavit.* Dices secundo: Apostolus ad Hebraeos 2. v. 10. de Christo, ait cum qui multos filios ad gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare debuisset. Respondeo, per filios illos intelligere Apostolum eos, quos ob merita Christi prædestinaverat jam ad gloriam Deus, imò aliquos ex iis, nempe Patres antiquos aliquo modo jam in gloriam adduxerat per certam scilicet illius promissionem, ad cuius tamen consummationem deerat solum executio adventus, & mortis Christi.

IX. *Sancti Patres nunquam affirmant Angelos fuisse sanctificatos per Christum quia hominum.* Difficultas præcipua in hac re est circa auctoritatem quorundam Patrum, quos pro se citat Suarez: ad hos tamen Respondeo, non affirmare eos Christum quia hominem salutem attulisse Angelis, sed solum fuisse sanctificatos Angelos per Filium Dei, per Christum, per Verbum, &c. quæ non necessario intelliguntur de Christo ut homine. Unde S. Gregorius in Ezechielem cap. 14. expressè ait Christum Angelis semper fuisse murum, nobis verò factum esse murum, nempe per Incarnationem, & S. Bernardus sermone in Seriam quartam hebdomadæ sanctæ, post medium sic habet: Passio Domini data est homini, quia alteri dari non potuit, nunquid Angelo? sed ille non eguit, nunquid Diabolo? sed ille non resurgit, &c.

X. *Dum S. Gregorius Angelos dicit esse sanctificatos per Filium, intelligit ut ait Deus.* Quare cum S. Gregorius in librum secundum Regum asserit Angelos esse sanctificatos in Filio, intelligitur de Filio ut erat Deus: cum verò addit idem S. Gregorius, Nemo electorum nisi in ipso est, nempe Christo, quod sic refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evahet: intelligendus est, vel per electos velle solos homines, vel si includat Angelos, loquitur non de gratia sanctificante, sed de fide Incarnationis, quam habere per Christum poterant Angeli in statu viæ: Justus namque, inquit, esse non potest qui fidem non habet divinæ Incarnationis: hæc tamen omnia commodius intelliguntur de hominibus.

XI. *Clare docet S. Gregorius Angelos sanctificationis gratiam non accepisse per Christum.* Quod autem non existimaverit S. Gregorius Angelos esse sanctificatos per Passionem Christi, constat ex lib. 28. Moralium, cap. 14. Sed ecce, inquit, Angeli divinam potentiam laudant, quia ipsi eos tanta claritatis visio delectat; nos autem, qui redimimur, quia virtute laudare debemus? & paulò superius de Christo habet hæc verba: Cujus Incarnationis mysterium quia & electi Angeli mirari sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt, rectè

subjungitur, cum me laudarent simul astra matutina hæc ille: ubi pulchrè explicat quomodo Angelus sint astra matutina, utpote qui lucem suam à Filio Dei, ut mane in æterni Patris sinu ortus est, acceperunt; homines verò astra vespertina, qui ab eodem Dei Filio nobis post tot sæcula in mundo in humanam carnem nato, qui tamen oceanus quidam potiùs illius & vesper dici potest, quam ortus.

Quod autem afferri solet de S. Hieronymo cap. 2. ad Ephesios, Christum sanguine suo Angelos purgasse nimium probat; inde enim sequeretur Angelos sanctos aliquando peccasse, & per Christum à peccato purgatos fuisse, qui fuit error Origenis, ex cujus sententiâ non ex propria loquitur ibi S. Hieronymus, ut notat Vasquez hic, disp. 49. cap. 5. & fatetur Suarez Disputatione 42. sect. 2.

Quoad antiquos Patres recepta in primis est apud Theologos opinio, eos quicquid habent gratiæ & donorum supernaturalium, Christi meritis acceptum referre. Hinc oritur difficultas; cum enim dona illa præcesserint Incarnationem Christi, non apparet quo pacto Christus sua merita pro iis offerre potuerit, jam enim sciebat esse dona illa collata, ergo nec orare, nec offerre Patri merita potuit, ut conferrentur.

In hac re licet Vasquez primâ parte disp. 94. cap. 3. & alii negent posse esse orationem pro præteritis: probabilius tamen videtur cum Valentia secundâ secundæ disp. 16. quæst. 2. punct. 8. posse; licet enim tempore priora, naturam tamen posteriora esse possunt hac oratione & merito. quod etiam tenet Pater Erice de Prædestinatione, disp. 24. cap. 5. non quidem ut jam fiant vel non fiant ea quæ petuntur, sed jam oratio offertur & meritum, ut facta vel non facta fuerint. Sic pro defunctis orat Ecclesia, ne absorbeat eas tartarus, ne pœnam æternam sustineant, &c. cum eo tempore, quo orat Ecclesia, liberati jam sint animæ à pœnis inferni, vel liberari omnino non possunt: petit ergo Ecclesia, ut liberentur ab inferno, non nunc, sed antea. Imò hoc in omni oratione nostrâ videtur necessariò dicendum, oramus enim Deum, ut concedere nobis velit victoriam, pluviam, &c. cum tamen ab æterno decreverit Deus concedere dependenter ab hac oratione. Non ergo oramus ut Deus nunc habere velit hanc voluntatem, quam antea non habuit, cum hoc sit impossibile, sed ut ab æterno eam habuerit: sicut ergo hic petimus à Deo volutionem præteritam, ita quidni poterit Christus potere, & mereri antiquis Patribus gratiam & auxilia præterita.

Semper ergo orare possumus pro re præterita, quando nobis non constat de certitudine possessionis illius, tunc enim orare aut offerre pro eâ merita non possumus, nullus enim applicat media ad id obtinendum, quod jam habet independenter ab illo medio: sic cum Ecclesiæ certò non constat quòd Deus animam ab inferno liberaverit, potest orare ut Deus eam liberaverit: sic similiter Christus orare potuit, & merita sua offerre, ut gratia antiquis Patribus data fuerit, dum tamen non procederet oratio illa, & oblatio ex notitiâ gratiæ jam illis collatæ, oratio enim illa, & meritum tempore quamvis posteriora, naturam tamen sunt priora collatione illius gratiæ.

Dices: Christus eo instanti quo pro antiquis Patribus orabat, sciebat gratiam iis jam esse collatam, ergo non potuit tunc orationem & merita offerre ut conferatur. Negatur consequentia: Non

XII. *Explicatur dictum quoddam S. Hieronymi.*

XIII. *Antiqui Patres quicquid habent gratiæ, habent ex meritis Christi.*

XIV. *Probabilius est posse fieri orationem pro præteritis.*

*Quo sensu orat pro defunctis Ecclesia ne absorbeat eos tartarus.*

XV. *Tunc orare possumus pro re præterita, quando non sumus certi, nos eam esse consecutos.*

XVI. *Obicit Sciobat Christus gratiam antiquis Patribus.*



TOM. II.

*bus iam fuis-  
se concessam,  
ergo orare  
non potuit  
ut concederetur.*

Non enim quævis scientia impedit orationem & merita prudenter offerenda, sed ea sola, qua scitur datum jam esse id quod petitur, independenter ab hac oratione & meritis, alia enim scientia solum est consequens, seu sciens datam jam fuisse gratiam illis dependenter ab hac oratione. Sicut ergo, licet Christus eo instanti quo orabat Patrem pro suscitatione Lazari sciebat certo fore ut per hanc suam orationem obtineret illius suscitationem, potuit tamen prudenter pro illâ orare, ita quidni orare quis possit ut aliquid ob illius orationem datum fuerit, quod intuitu illius sciebat datum jam fuisse.

## SECTIO QUINTA.

*Utrum Christus per merita, unionem  
subsequentia potuerit illam  
mereri.*

*I.  
Certum est  
Christum  
per merita  
unionem  
tempore an-  
tecedentia  
non potuisse  
eam mereri.*

**S**ECTIONE primâ rejecimus eos, qui Christi humanitatem, prius tempore existisse asseriebant, quam uniretur Verbo; unde clarum est per opera unionem tempore antecedentia non potuisse Christum mereri unionem, cum Christus per ipsam unionem constituatur. Nec etiam mereri unionem potuit per opera naturâ eam concomitantia, cum merita, ut tum hic, tum tomo præcedente, disputatione quadragesimâ, sectione secundâ, diximus movere ut causa moralis debeant ad conferendum præmium, quod intuitu eorum datur. Restat ergo tantum controversia de operibus unionem subsequentibus, quam hac sectione expediâ.

*II.  
Vnde oriatur  
difficultas  
de merito  
unionem  
per merita  
eam  
subsequentia.*

Difficultas verò ex eo oritur, nam, ut proxime vidimus, potuit Christus per merita sua antiquis Patribus gratiam & auxilia supernaturalia mereri, eo quod merita illa, licet tempore posteriora, naturâ tamen priora erant gratiâ illis collatâ, quare ergo non poterit Deus intuitu operationum à Christo in tempore aliquo post receptam unionem, ut in adultâ ætate elicitarum moveri ad unionem illi primò conferendam. Quæstio verò procedit de meritis non conditionatè solum, sed absolutè prævisis, cum sub hac solâ ratione sint propriè merita, merita siquidem non movent nisi ut existentia.

*III.  
Singularis  
quorundam  
opinio.*

Singularis hac in parte est opinio Patris Suarez hic, disp. 10. sect. 4. quem sequitur Coninck disp. 8. de Actibus supernaturalibus, dub. 7. & recentiores non pauci. Distinguit itaque Suarez ordinem intentionis & executionis, unde, inquit, nil vetat, quo minus Deus ordine intentionis præfinitur efficaciter Christum, & illius merita, deinde ordine executionis det unionem intuitu horum meritorum, quæ licet Incarnatio in intentione præcedat, in executione tamen subsequitur, cum ex illis prævisis executioni mandetur.

*IV.  
Si Christus  
in virili ætate  
fuisse præ-  
finitus, po-  
tuisse mere-  
ri unionem  
primò con-  
ceptionis in-  
stanti hu-  
manitatis  
conferen-  
dam.*

Variis modis intelligi potest Christum per merita unionem sequentia illam mereri ut in primo instanti conceptionis conferendam: primò, ita ut Christus instanti quo meretur unionem, intelligatur existens sine dependentiâ à collatione illius in primo instanti conceptionis, sed ita ut præfinitur Christus in virili ætate, & hoc modo non videtur dubium, quin potuerit Christus mereri unionem multo antè humanitatis conferendam, sicut & potuisset Deus moveri ex meritis Christi ad unionem hypostaticam Adamo, vel

Moyli cum Patre aut Spiritu Sancto, vel ipso etiam Filio concedendam. Hic ergo loquimur de meritis ab unione in primo conceptionis instanti collatâ in suo esse pendentibus.

Secundò intelligi potest Deus ita moveri intuitu meritorum subsequentium ad unionem primo instanti secundâ actione à meritis moraliter proveniente producendam, itâ tamen ut prius extiterit ex vi actionis, per quam valorem meritis confert, & hæc non est major difficultas, quàm quòd effectus elevari possit ad causam sui secundò producendam, etiam dum ipsam causat, vel quòd idem hoc modo elevetur ad secundò producendum se, quæ tamen fieri posse ostendi disp. 21. Phy. sect. 3. & disp. 19. per totam. Non tamen existeret unio hypostatica in hoc casu duplici actione totali, ut ibidem diximus.

Dicendum itaque, licet his modis non implicet unionem primo conceptionis instanti produci intuitu meritorum subsequentium, cum tempore solum & secundum quid prius illis producat, simpliciter verò & naturâ posteriori, ita tamen produci intuitu meritorum subsequentium, ut primò tunc sit ratio illorum, ut vult Suarez, videtur omnino impossibile; cum enim hæc merita, quæ talia dependant ab unione, cum eorum valor ab eâ defumatur, debet unio dignificare ea ut existens pro illo instanti quomorentur, ergo pro eodem priori, pro quo sunt merita, est unio, ergo non potest accipere primum suum esse per hæc merita, sed ad summum secundum esse, seu ut aliâ actione secundò producat.

Dices, hoc solum probare, debere unionem ordine intentionis præcedere merita, in executione tamen potest ea subsequi, seu intuitu illorum primò produci. Contra primò: Vel ordo ille intentionis sufficit ad ponendum unionem à parte rei, vel non: si primum, ergo ante merita existit unio, & consequenter primum suum esse non accipit ab iis, vel physicè, vel moraliter, cum pro illo priori merita non sint: si secundum, ergo merita illa non sunt merita infiniti valoris, cum hic valor defumatur ab unione existente, & opera moraliter informante, valor enim meritorum, est ipsa unio, ut dictum est.

Contra secundò: Hinc enim sequeretur merita illa esse causam sui, siquidem cum valor meritorum sit unio, si mereantur hunc valorem, merebuntur se: imò principium meriti cadet sub meritum, quod implicat, ex hoc enim principio semper probat Sanctus Augustinus primam vocationem, quæ est principium omnis meriti in nobis, debere gratis dari, & sine meritis, idque non naturaliter solum, sed de potentia absoluta: libro enim de libero arbitrio & gratiâ, cap. 8. ex principio illo inferri non posse primam vocationem non conferri independenter à meritis, nec posse hominem ullâ ratione præstare ut vocetur, si autem possemus eam mereri, de facto mereremur, cum Deus eam nobis det cum onere cooperandi, & gloriam Deo tanquam fructum illius rependendi, ut constat in iis Scripturæ locis, ubi se Deus comparat agricolæ vineam elocanti, & Patri-familias talenta distribuenti ad usuram, & ignavos multanti; ut bene notat Vasquez hic, disputat. 21. cap. 5. ergo merita illa quæ talia non possunt antecedere unionem.

Contra tertio: Implicat effectum elevari ad primò producendum causam sui, cum pro illo priori necessariò existere debeat causa, utpote quæ

V.  
Nec etiam  
est difficul-  
tas ut exi-  
stens per  
unam alie-  
nam merita  
non merita  
secundâ a-  
ctione pro-  
ducendum.

VI.  
In dicitur  
præcedenti-  
bus eorum  
unio hypo-  
statica tem-  
pore antè  
quod produ-  
citur prius  
meritis,  
simpliciter  
verò post-  
eriori.

VII.  
Impugnatur  
ordo ille in-  
tentionis &  
executionis.

VIII.  
Ex hoc ordi-  
ne intentio-  
nis & execu-  
tionis meri-  
ta illa esse  
sunt causæ  
sui.

IX.  
Nequit nullo  
modo effi-  
ctus elevari  
ad primò  
producendum  
causam sui  
quæ



quæ operari non possit, nisi ut existens. Contra quartò: Si enim hæc diversitas ordinis intentionis & electionis sufficiat, poterit per eandem distinctionem iustus per primum actum contritionis mereri ipsum actum contritionis, nam, ut in uno ordine dici posset mereri illum ut in alio: deinde mereri quis posset primam gratiam, item auxilia omnia, per quæ hæc merita producuntur, quæ tamen implicant, cum pro illo priori quo prævidentur merita, prævideri debeant ut existentia, ergo pro illo priori non potest adhuc esse exitura eorum causa.

X. Unionem hypostaticam & rursus illa existere solum ex vi intentionis, non executionis videtur implicatio in terminis.

Dicere ergo, pro illo priori prævideri unionem & merita, existentia quidem, sed solum ex vi intentionis non executionis, videtur implicatio in terminis; si enim pro illo priori utraque existunt, ergo habent existentiam exercitam, ergo executionem passivam, ergo simpliciter non sunt acceptura suam existentiam, ergo non potest unio ex vi horum meritorum primo produci, mereri siquidem unionem, ut diximus, est movere Dei voluntatem simpliciter ad eam producendam, ergo si hoc totum Deus decrevit independentem à meritis, & pro illo priori videatur existens, non possunt merita esse causa cur Deus eam exequatur, seu ei det esse simpliciter, sed solum secundum quid, nempe hoc vel illo loco aut tempore, & secundum has vel illas circumstantias, unde simpliciter, & quoad substantiam non datur ei esse ob merita, sed solum quoad modum, cum aliunde, nempe ex intentione efficace sit determinatus Deus ad dandum esse unioni.

XI. Obiit Statuere potest Deus non dare unionem hypostaticam gratis.

Dices secundò cum Patro Suarez citato, non repugnare ut Deus det unionem hypostaticam, non gratis, sed dependenter ab operibus futuris, tunc verò Christus tempore sequente, opera illa præstando solveret id quod ad unionem ipsi dandam Deus requirebat: sicut si Rex militi equum det & arma intuitu meritorum, quæ his instructus postea præstabit, idque cum onere huiusmodi merita exhibendi.

XII. In illo casu nullum videtur Deus meriti, ac proinde hoc sensu daret unionem gratis.

Ad argumentum dico, in eo casu gratis dare Deum unionem hoc sensu, id est, non tanquam præmium alienius meriti, cum nullum videre tunc possit meritum antecedenter ad collationem unionis, unde operationes illæ in eo casu habent rationem finis, non causæ meritorie, & ad summum continuari possent unio intuitu illarum sub conceptu meriti, non tamen primò dari, cum unio hypostatica sit potius medium respectu illorum. Hoc quippe differt causa finalis à meritoria, quòd illa, ut possibilis, vel conditionatè solum futura moveat, seu ut fiat, cum media ad illius consecutionem ponantur, causa verò meritoria non movet nisi ut existens, nec ut fiat, sed quia facta est, saltem in præscientiâ: qua de causa Sanctus Thomas quæst. 29. de veritate a. 6. ait meritum non causare per modum causæ finalis, sed efficientis. Unde dicit Apostolus: Misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis, non quia sum fidelis, ut ait Sanctus Augustinus: ubi verò fermo est de meritis alio modo loquitur Scriptura sacra, ut Matthæi 25. Venite benedicti Patris mei possidete regnum, &c. Esurivi enim & dedisti mihi manducare, &c.

XIII. Ad id de armis militi datis dici posset non ab initio, nec

Ad exemplum illud de milite latè respondi tomo præcedente in materiâ de gratiâ, & prædestinatione, nunc breviter dici posset primò, arma illa non esse militis nisi postquam strenuè ab eo pugnatum est, & parva victoria, initio enim

non sunt ei data tanquam præmium, seu intuitu meriti, sed conditionatè solum, & ut pugnaret, atque ita, si strenuè se gereret manerent ipsius, sin minus Regi redderentur: in hoc autem casu essent ipsius ob merita jam exhibita, & consequenter ut præmium, quod secus contingit in primâ eorum collatione. Secundò responderi potest, arma illa esse militis ab initio, non tamen per modum præmii collata, nec gratis, sed esse quandam ibi commutationem iustitiæ inter Regem & militem, per quam acquirit Rex jus in militem, ut strenuè se præter morem gerat in prælio. Hinc constat differentia in Deo respectu collationis gratiæ, & in Rege respectu armorum; Rex enim commodare solum arma illa potest, & tunc quando pugnavit, erunt ipsius: Deus verò non potest unionem vel gratiam commodare pro eo instanti quo confert, quia ipsum conferre est dare, cum alio modo dare non possit.

nisi post pugnam esse ipsius.

Secundò concedi potest arma illa verè esse militis ab initio, sed ipsi concessa cum obligatione pugnandi.

Dices tertio: Potest quis alteri vineam suam vendere cum obligatione ut ex eisdem vineæ fructibus pretium ei solvat. Respondeo primò, hoc longè diversum esse à nostrâ quæstione, cum hic nihil sit de merito, quod essentialiter debet præexistere, & præmio, pretium autem non necessariò debet existere & solvi quando res traditur, licet ex alio capite hic sit etiam difficultas. Secundò igitur dico, in hoc casu vel ita instituitur pactum, ut is cui traditur vinea quotannis tantum solvat pecuniæ quantum fructus merentur, tunc verò non omnino vendit, cum si eam in propriâ haberet potestate, non plus inde emolumentum capere posset, quam jam capit, nec ullus Sapiens hoc modo vineam aut quicquam aliud emeret: vel ita instituitur pactum, ut aliquid illius quod ex fructibus singulis annis percipit solvat donec exaquet pretium vineæ, tunc autem dici posset, vel per traditionem vineæ acquirere eum jus ad solutionem tanti pretii, & cum hoc in præsentî acquiratur & æquivalet vineæ, est contractus iustitiæ, vel si hoc jus non æquivalet vineæ censetur ex parte eam dare.

XIV. Non est idem de conditione vineæ cum obligatione solvendi pretium ex eisdem vineæ fructibus.

Duplex alius modus de pretio vineæ ex vineæ fructibus solvendo.

Dices quartò: Possunt causæ sibi invicem esse causæ, ergo nihil vetat merita esse causam unionis, & hanc meritorum. Hanc opinionem de mutuâ causalitate latè impugnaui Disp. 21. Physicorum, quam etiam nostri communiter acriter insectantur, & P. Erice Disp. 28. ait pugnare eam cum lumine naturæ; cum enim res quæ aliam producit debeat esse prior illa, debet etiam pro illo priori habere suum esse completum, & in rerum naturâ existere nondum producto effectu, cum effectus prius illud signum ingredi nequeat. Deinde non posset ex principio illo metaphysico. Omne quod fit, ab alio fit, probari prima causa ut latè ostendi Tomo præcedente, Disp. 3. lect. 5. num. 4. & sequentibus.

XV. Frustra ex mutuâ causalitate probat quis illam scientiam, cum hac passim à nostris rejectatur.

Ut verò hæc & alia in Philosophia dicta omitam, solutionem hanc nunc impugno ex principiis Theologicis; hinc enim sequeretur invalidam esse Sancti Augustini, & aliorum Patrum argumentationem contra Pelagium dicentem primam gratiam cadere sub meritum, dum propterea probant non posse cadere sub meritum, quia requiritur à priori ad illum ipsum actum quem Pelagius dicebat esse meritum; respondere enim facile posset Pelagius mutuam esse inter hæc prioritatem. Idem est in resolutione Fidei hæreticorum, quia spiritum suum privatam probant ex Scripturis sacris, & si ab iis quærat uterius unde

XVI. Ex S. Augustini & aliorum Patrum argumentatione contra Pelagium rejicitur modus illa procedendi per intentionem & executionem.



Tom. II.

unde sciant has esse veras Scripturas, vel se non perperam eas interpretari, respondebunt spiritu suo dicente se id scire, & mutuam hanc causalitatem in sui defensionem proferent. Idem in aliis multis ostendi posset, quæ cuivis facillè occurrent.

SECTIO SEXTA.

Utrum Patres antiqui meruerint circumstantias Incarnationis, & B. Virgo ut esset Mater Dei?

I. *Quæstio tam de substantiâ Incarnationis procedit, quàm de circumstantiis.*

**E**XPEDITIS iis quæ ad Christi meritum spectant, restat ut aliquid de meritis antiquorum Patrum, qui Incarnationem tempore antecesserant addamus, quo pacto scilicet vel substantiam Incarnationis vel circumstantias meruerint, aut mereri potuerint. Et quidem non potuisse Sanctos Patres, vel ullam puram creaturam, divini Verbi Incarnationem de condigno mereri, videtur manifestum; meritum enim condignum æqualitatem habere debet cum præmio, nullus autem actus puræ creaturæ, gratiæ etiam infinitæ instructæ par esse potest unioni hypostaticæ, ob illius cum Verbo conjunctionem, ut apud omnes est in confesso.

II. *Difficultas hæc primò discutietur circa B. Virginem.*

Ex resolutione itaque secundæ partis tituli de Beatissimâ Virgine, facillè resolvetur prima, cum in eâ minor sit difficultas. Ratio ergo dubitandi est, quia B. Virgo quicquid habuit meriti habuit ex meritis Christi; ergo non potuit mereri ut esset mater Christi, antecedens admittitur ab omnibus: Consequentia probatur, Si omne meritum Virginis proveniat à meritis Christi; ergo pro priori aliquo naturæ existunt merita Christi, quàm merita Virginis; ergo & ipse Christus, cum prius existere debeat quàm operari, ergo non potest Beata Virgo mereri suam maternitatem. Probatur consequentia: Mereri maternitatem est mereri ut producat Christum, sed hoc fieri non potest, cum pro aliquo prior ad omne ejus meritum, existere debeat Christus, utpote qui prius debet operari, ergo, &c.

III. *Aliud est mereri de condigno Maternitatem, aliud mereri copiosam gratiam per quam disponitur ut esse digna Mater Dei.*

Notandum primò quoad meritum de condigno, diversam esse quæstionem: utrum meruerit B. Virgo maternitatem, & utrum meruerit copiosam illam gratiam, quæ disponebatur ut esset digna Mater Dei; non enim semper qui meretur condignè dispositiones ad formam, meretur de condigno formam, quando inter hanc & illas non est physica connexio, & exigentia naturalis, sed ex quadam solum decentiâ, ad quemcunque enim pervenisset B. Virgo perfectionis gradum, nullatamen vis illata fuisset naturis rerum, si Mater Dei non fuisset, cum vel præcisè quia voluit, vel ob aliam causam potuisset Deus illi eam gratiam infundere. Hanc verò dispositionem ad maternitatem partim habuit gratis collatam, ut quod ab originali præservata fuerit, quod tam copiosam gratiam simul cum habitibus infusus tanquam fundamentum secururæ sanctitatis ab initio receperit, &c. partim verò suis meritis obtinuit, nempe nobilibus illis actibus, quibus gratiam & sanctitatem in dies auxit, virginitatem Deo consecravit, &c. Et in hoc sensu loquuntur multi ex Patribus, dum dicunt eam fuisse dignam Matrem Dei, & condignè se ad dignitatem illam disposuisse.

*Dispositionem illam ad Maternitatem Maria partim gratis accepit, partim meritis obtinuit.*

Notandum secundò: Quamvis de facto Beata Virgo non meruerit Maternitatem de condigno, cum insumptus fuerit valor meritorum ipsius in merendo gratiæ & gloriæ augmentum, cum quo peculiarem habent proportionem, non tamen est tantum donum illud ut excedat valorem meritorum ejus, cum juxta S. Augustinum majus sit concipere Deum mente quàm ventre: unde de Beatâ Virgine ait, *Beatior fuit MARIA percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi*; deinde subdit: *Sic & Materna propinquitas nihil MARIE profuisset, nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset.* Præsens verò quæstio procedit de merito de congruo, unde non apparet qua ratione mereri potuerit Virgo ut esset Mater Christi, cum omne meritum receperit ex meritis Christi.

IV. *Magnitudo Christi de condigno non excedebat valorem meritorum B. Virginis.*

Aliqui, ut hoc defendant, dicunt Matrem in prolis efformatione non habere concursum effectivum, sed solum subministrare materiam, ex qua corpus infantis compingatur; quam sententiam sequitur S. Thom. hic, quæst. 32. articul. 4. Dicunt ergo hi auctores fuisse prævisum Christum in primo signo existentem cum illâ materiâ, & ut sic, inquirunt, existens meruit gratiam Virginis qua meruit in se habere partem illam materiæ ex qua corpus Christi prævisum fuerat componendum. Sed contra: licet enim olim communis esset inter Philosophos opinio negans Matri concursum activum in prolem, jam tamen contrarium tum à Philosophis tum Medicis habetur certum, quo admissio stare nequit hæc sententia, cum omnia tribuenda sint Virgini respectu Christi, quæ aliis matribus conceduntur respectu suæ prolis, alioqui non esset verè Mater Christi.

V. *Vi ab hac se diffinitate expedians nonnulli, dicunt matrem in generatione proli non concurrere effectivè.*

Secundò alii dicunt humanitatem Christi primo Incarnationis instanti productam fuisse duplici actione totali, primâ à solo Deo independentem à Virgine, & per hanc actionem existens Christus meruit, inquirunt, gratiam antiquis Patribus & Virgini, per quam illa meruit ut in eodem instanti reali secundò eum produceret per aliam actionem totalem, fieretque ejus Mater: ita P. Erice 1. parte, tractatu 3. Disp. 39, cap. 4. & ex Recentioribus non pauci.

VI. *Alii, ut istè nodum solvant, insistent ad hanc opinionem totalem terminatam ad humanitatem Christi.*

Sed contra primò: Concilia siquidem & Patres, ut constat ex quintâ Synodo, canone 2. duas tantum agnoscunt Christi generationes, primam secundum divinitatem, ex Patre sine Matre, secundam quoad humanitatem, ex Matre sine Patre; secundum hanc autem sententiam ponitur tertia ejusdem generatio contra mentem Patrum. Contra secundò, hinc namque sequitur Beatam Virginem non fuisse verè Matrem Christi. Probatur: non enim præstat ei quod alie Matres præstant suis filiis, cum simpliciter non det illi esse in instanti conceptionis, sed secundò solum, & secundum quid; simpliciter enim supponitur Christus esse per aliam actionem independentem ab hac. Contra tertio, nam hinc sequeretur Virginem non esse Matrem Christi secundum actionem aliquam ex parte sui connaturalem, sed per actionem quandam extravagantem, & ad productionem filii non conducentem.

VII. *Hæc tamen sententia res prout Christi generationes, cum Patres & Concilia tantum agnoscant dicit.*

Tertio, Pater Suarez, ut in aliis, ita hic recurrit ad diversitatem intentionis & executionis, aitque merita & existentiam Christi ut in intentione fuisse principium meriti B. Virginis, in executione verò Christum ait fuisse meritorum Beata Virginis præmium. Sed contra: nam

VIII. *Pater Suarez totum reducit ad ordinem intentionis & executionis.*

merita,



merita, ut superius diximus, non movent nisi ut existentia, ergo non nisi ut executioni mandata; ergo non potest B. Virgo ex meritis Christi habere quod sit Mater Christi, sic enim principium meriti caderet sub merito, & Christus esset causa moralis productionis sui, priusque operaretur quam existeret ut discurrerent patebit.

**IX.**  
*Dicunt alii Christum fuisse praefinitum in virili aetate, & sic meruisse gratiam Virgini.*

Quartò alii sic signa instituunt: dicunt itaque, in primo signo post praefinitum peccatum, Deum praefinitum Christum in aetate virili existentem per actionem à solo Deo procedentem independentem à concursu Virginis, & hoc modo, inquit, existens meruit gratiam Virgini, per quam merebatur ipsa ut esset Mater Christi infantis, sicque principium meriti non cadit sub merito, nam Christus ut vir, est principium meriti, ut puer praemium, ut vir autem planè independentens est à se ut puero.

**X.**  
*Hac sententia, quamvis possibilis, easdem patitur difficultates, quae Sect. praecedente contra secundum modum sunt allatae.*

Hic modus dicendi est possibilis, easdem tamen difficultates patitur, quas contra secundum modum supra attulimus, & praeterea quòd Patres & Scripturae non alium agnoscant productionis modum, quam conceptionis ex Virgine, quod etiam urget contra secundum modum. Deinde Sanctus Augustinus de correptione & gratia, c. 11. expressè docet humanitatem Christi sine ullis meritis in ipsa praecedentibus accepisse unionem hypostaticam, quod tamen in hac sententià aegre salvatur, cum unionem in primo conceptionis instanti praecesserint ordine naturae merita Christi in aetate virili praevia, tanquam causa moralis illius.

**XI.**  
*Signa ab aliis ita induuntur, ut beatissima Virgo in adultà aetate fuerit praefinita, proli concipiendae apta.*

Quintò itaque alii sic procedunt, & in primo signo dicunt praefinitam fuisse Beatam Virginem in aetate jam adultà, proli concipiendae aptam, & existentem per actionem à solo Deo procedentem, independentem ab omni causà creatà, ut prior modus loquebatur de Christo, sicque in illo instanti reali decrevit Deus cum eà concurrere ad Christi humanitatem per concursum maternum generandam. Deinde existens jam anima Christi unita corpori & Verbo obtulit se ad mortem pro hominibus sustinendam, per quam voluntatem incepit gratiam & tori humano generi & Matri mereri: Unde in illo instanti prius ratione existerat Beata Virgo, eratque Mater Dei, quam vel gratiam, vel ullam actum meritòrium haberet. Postquam verò electa est in Matrem, meruit per gratiam & auxilia ex meritis Filii sibi collata summum illum gratiae & virtutum cumulum, per quem disponebatur ut esset digna Mater Dei, quae proinde dispositiones erant natura consequentes maternitatem, non antecedentes. Haec insinuare videtur Ragusa hic, Disp. 46. & P. Praepositus in hunc articulum, & Recentiores aliqui.

**XII.**  
*Hic maternitatem merendi modus praeparat ad meritum accedere videtur.*

Hic modus dicendi, si non facilis, saltem ex omnibus minus difficilis videtur, & sequendus: varia tamen objici contra eum possunt, & in primis praefinitionem illam Virginis in adultà aetate primò producendae quid valde extraordinarium, videri. Ad hoc tamen respondetur, in nulla sententià non statui in hoc puncto aliquid extraordinarium; ergo hoc nihil obstat veritati hujus opinionis.

**XIII.**  
*Difficultatem deinde in hac procedendi via faciunt difficultates quorundam Patrum.*

Secundò, juxta hanc sententiam videtur Beata Virgo non meruisse suam maternitatem, quod tamen durum videtur, & contra auctoritatem Patrum. Sed in primis quo ad Patres ab omnibus explicari debent, cum frequenter dicere videantur ipsam de condigno hanc dignitatem me-

R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. 11.

ruisse, quod tamen Theologi hodie passim negant. Deinde aliqui ex Patribus dicunt non meruisse Virginem, suam maternitatem, unde S. Augustinus, ait Conceptionem ex Virgine factam fuisse nullis praecedentibus meritis; ergo nec merita Virginis eam praecesserunt. Tertio dico Beatam Virginem licet quoad immediatam productionem humanitatis Christi, eam non meruerit, meruit tamen mediatam, seu praeparationem illius numero materiae ex qua Deus decrevit Christi corpus primò efformare, ex quo factum est, ut supposito decreto Incarnationis Christi, non potuerit Deus non ipsum primò in utero Sanctissimae hujus Virginis producere. Meruit ergo Virgo Maternitatem in ratione completae Maternitatis, ad quod requiritur ut substantia proli prius fuerit substantia Matris.

**XIV.**

Tertio, difficultatem in hac sententià facit, hinc quippe sequi videtur Virginem in instanti Incarnationis non dependisse à suis parentibus, quod tamen non videtur admitendum. Respondeo nil in hoc esse incommodi, sicut enim multa alia ei conceduntur privilegia, ita & hoc concedi poterat, exituram scilicet illam fuisse, quamvis parentes eam non genuissent.

*Dices: Hinc sequi B. Virginem in instanti Incarnationis non dependisse à suis parentibus.*

Quartò, in hac opinione non caret difficultate, quòd Sancti Patres consensui Virginis attribuunt mundi redemptionem: unde S. Bernardus homilià quartà super Misus est, sic Virginem alloquitur adhortans quasi eam ad consensum praebendum: Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat, nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Similia habet S. Augustinus sermone 17. de Tempore. Respondeo, si loquantur Patres de dependentià à priori, constat loqui eos de consensu objectivo Virginis, seu objecto consensus illius; si autem loquantur de formali, intelligi solum debent de dependentià à posteriori, sicut etiam hoc sensu dependebat à copiosa illà gratià & aliis privilegiis, quae tamen fuerunt naturà quid consequens Incarnationem.

**XV.**  
*Id ulterius in hac sententià est difficile, quòd Patres aliqui consensui Virginis tribuunt mundi redemptionem.*

Notandum verò, secundum hanc rationem procedendi defendi non posse exemptionem Virginis à debito proximo peccati originalis priori ex duobus modis supra assignatis, ita scilicet ut illa eximeretur à pacto, quam sibi designasset in Matrem, cum enim in hoc modo procedendi non sit designata in Matrem ex meritis Christi, sequeretur non esse redemptam per Christum, quod tamen dici non debet.

**XVI.**  
*Vnus ex modis supra assignatis de exemptione Virginis à peccati originali debito proximo, non potest in hac via subsistere.*

Hinc patet quid dicendum sit de alterà parte tituli circa antiquos Patres, ipsos scilicet, non substantiam Incarnationis; sic enim principium meriti caderet sub merito, sed tantum aliquas illius circumstantias de congruo meruisse. Abraham exempli gratia meruit ut Christus ex illius prole nasceretur, merendo scilicet ut Virgo illa, quae Deum jam videbatur paritura, nasceretur ipsius filia, & paulatim in eam aetatem adolefceret, in qua Deum gigneret. Alii meruerunt ut Christus potius in synagogà nasceretur, quam inter gentes. Simeon senex meruit ut jam conceptus nasceretur in Bethleem, ut hac ratione citius ipsum videret, &c. In iis verò orationibus, quibus Prophetae videntur petere ipsam Incarnationis substantiam, ut *Rorate caeli de super. Veniam distumpere callos, &c.* Respondeo in his & similibus non petuisse Incarnationem, quam jam sciebant futuram, Christumque venturum ut auctorem

**XVII.**  
*Antiqui Patres, non substantiam Incarnationis, sed aliquas tantum illius circumstantias meruerunt.*



TOM. II.

honorum omnium, sed solum ostendebant affectum suum erga Christum, quod utile imprimis illis erat, vel ad summum petebant accelerationem hujus mysterii, quod alia etiam omnia indicant, *Veni Domine, & noli tardare. Veniat qui venturus est, &c.* sic Apocal. c. 6. significantur oratio Sancti ut Deus veniendo ad iudicium vindicet sanguinem ipsorum, vel ut affectum suum erga ostensionem divinæ justitiæ demonstrant, vel denique ut iudicii diem suis orationibus accelerent.

XVIII.

*Virum, saltem divinitus antiquis Patres mereri potuerint divini Verbi incarnationem de congruo.*

Quæres: Etsi de facto Sancti Patres in hoc statu rerum, per opera sua, etiam in gratiâ facta, mereri de congruo nequeant divini Verbi Incarnationem quoad substantiam; utrum saltem in alio statu eam divinitus mereri potuerint? Negant ex Recentioribus nonnulli; sicut enim, inquit, visionem beatam opera naturalia mereri nequeunt, etiam de congruo, ob maximam operationum naturalium à visione beatificâ distantiam, ita nulla merita puræ creaturæ, etiam in gratiâ facta, apta videntur ad merendam de congruo unionem hypostaticam, utpote quæ ob summam excellentiam magis distare videtur à merito puræ creaturæ, quàm gratia habitualis, aut visio ab operibus merè naturalibus.

XIX.

*In aliâ tamen serie rerum potuissent homines*

Dicendum nihilominus, si Deus aliam rerum seriem instituisset, potuissent homines gratiâ habituali, & aliis auxiliis ad actus supernaturales necessarios instructos, mereri de congruo divini

Verbi Incarnationem quoad substantiam. Nec obstat quod Recentiores illi objiciebant de actu naturali respectu gratiæ & præmii supernaturalis, nam ut Tomo præcedente, Disp. 113. ostendi, & supra etiam obiter declaravi, res naturales & supernaturales tendunt ad duos fines disparatos, nullamque inter se habent proportionem, neque subordinationem, cum sint in planè diverso ordine: unde sicut, ut ibidem dixi, duæ lineæ rectæ parallellæ, quantumvis protendantur, nunquam in idem punctum coeunt, ita res naturales & supernaturales, nunquam in eodem fine conveniunt. At verò actus boni supernaturales & unio hypostatica, etsi in entitate & perfectione physica maximè inter se distent, sunt tamen in eodem ordine entis supernaturalis, & ad eundem finem tendunt, ut nimirum homines æternæ beatitudinis participes efficiant, & cælestis regni concives.

Deinde, quamvis unio hypostatica humanitatem connectat cum Verbo, est tamen quid in se finitum, unde non apparet cur actus aliquis supernaturalis de congruo illam mereri nequeat. Tandem Patres omnes & Concilia actum naturalem improportionatum esse docent ad merendum, etiam de congruo præmium supernaturale, nullus tamen hoc vel leviter insinuat de actu supernaturali hominis in gratiâ existentis respectu unionis hypostaticæ.

